Carmen Funebre;

Ex Occasione

NORTHAMTONÆ

CONFLAGRATÆ

Compositum.

Opera *S. Ford*, S. T. D.

Auctoris Poematis

DE

Conflagratione

LONDINI, &c.

LONDINI,

Apud *H. Brome* Bibliopolam ad Insigne *Tormenti Bellici*, prope Portam Occidentalem ædis *S. Pauli*. 1676.

Carmen Funebre ; Ex Occasione Northantonæ, (*Sept.* 20. 1675.) *Conflagratæ, concinnatum , ab Authore Poematis de Conflagratione* Londini, *&c. Ad Amicum Nobilem & eruditum , Dominum* Jacobum Langham, Equitem, Auratum, *&* Baronettum, *Præfatio.*

ME rude donatum dum poscis Carmina ; non es
Arbiter Ingenii justus , Amice, mei.
Non facio invidiam Fatis mea damna querendo ;
Sat mihi, si ad veniam nostra querela facit :
Sed feror occiduæ per iter declive senectæ ;
Omniaq; in pejus quæ viguere ruunt.
Nam lustris uno supra bis quinq; peractis,
Heu ! parte ætatis deteriore premor.
Hæc benè cùm nôrit, quærit sibi musa recessum,
Atq; suum ut teneat sit taciturna gradum.
Tolle, ait, ah ! speculum, rugis sulcata Lacæna ,
Cùm facies speculo quæ fuit apta perît.
Censurâq; notata suâ fugit ipsa Theatrum !
Nec fore grata aliis vix sibi grata putat.
Déq; meo mihi sit cùm par sententia versu,
Judicio satis est me cecidisse meo.
Nec nostris opus est alienos addere sensus.
Lene *rubet, soli qui rubet ipse* sibi.

27851 Dobell

Debueram verò, & vellem, si posse maneret,
Northantona, tuo justa dedisse Rogo.
Tu, moneor, meritò Carmen funebre requiris:
Quæ quoq; res Genio non aliena meo est.
Londini cladem cecini: hanc tua reddit Imago:
Hanc quoq; quo cecini corda calore tepent.
Audendum ergo aliquid versu, ut quem sensimus ardor
Se saltem solitâ dissipet ipse viâ.
Me fateor tamen a numeris cecidisse sonoris,
Inq; leves Elegos jam mea verba fluunt.
Da veniam fasso; hoc ætas mea postulat, hoc Res,
Londino ut dispar & tibi funus eat.
Adde, meæ Nutrix quòd diceris esse Camænæ,
Nec nego: nam gremio vagiit illa tuo
Propterea gratæ vultu leve munus Alumnæ
Accipe, quem meruit officiosus amor.
Quem fueram, vellem tibi me præstâsse Poetam,
Pro veteri ut posses lapsa nitore cani.
Hoc tamen ut posses, citiùs collapsa fuisses;
Et tanti a quovis Te puto nolle cani.
Nunc, quoniam periere mihi, queis favimus Artes,
Pro *modulo ingenii* es sic tumulanda mei.

EPITAPHIUM.

Carminibus nostris, (ea si superesse meretur,)
Posteritas, nollet quæ latuisse, legat.
Hoc est in Tumulo sita *Northantona*, viator,
Jam cinis & pulvis, tu modò qualis eris.
Urbs peramæna situ, Musis gratissima sedes,
Qua lenta Ausonæ Nena maritat aquas.
Hanc *Angli* mediam latere aspectamus ab omni;
Corpore & in nostro Cordis habenda loco est.
Faverunt elementa illi tria; Flumen, & Aer,
Et Terra; a quarto tanta ruina fuit.
Condimus hanc Urna hac Heliconia Turba, gementes,
Condi alio à nobis non licuisse modo.
Hoc facient alii, nisi vanus noster *Apollo* est:
Et subitò ut faciant, Terra sit ista levis.
Tu, precor, interea faveas, mercèsq; ferendo,
Sæpiùs huc lassus flecte, viator, Iter.

ELE-

ELEGIA.

Jam positos cineres mæstæ lugete Camænæ,
Carmine materiæ conveniente suæ.
Dúmq; breves longis subnectitis ordine versus,
Marcida in immites spargite serta rogos.
Nam, velut exequiis cognati ritè peractis,
(Luctus & a justis assolet esse loquax)
Defuncti Historiam texunt, paritérq; dolendi
Causas dum referunt, fit dolor ipse minor:
Hanc, aiunt, habuit Patriam, hi genuere Parentes,
Sic fuit & fecit, corpore talis erat;
Has tenuit mentis dotes, his junxit Amicos
Officiis, moriens talia verba dedit:
Eloquio simili jam *Northantona* colenda es;
Et paria his de Te sunt memoranda mihi.
Ergò age Melpomene fatalis conde Ruinæ
Historiam, & pactam Carmine solve fidem.
Annus ab horrenda *Londini* strage, recenter,
Qui fit ab unitis ter tribus actus erat.
Idem Mensis erat fatalis utriq; tenebris
Quo facit æqualem pendula Libra diem.
Londino funesta fuit Lux proxima primæ;
Qui numerus decies hic repetitus erat.
Axe stetit *Phœbus* medio libratus; & alta
Nox æquè distans a veniente fuit.
Sive erat in partem fortè inclinatior ullam,
Venturæ hora dedit dimidiata moram.
Stramineam cùm flamma casam superabat, & indè
Fatiferi sparsit semina fœta mali.
Hanc putida infami Meretrix cum prole tenebat:
* Virginis in vico, ah! turpe lupanar erat.
Triticeis caveâ vaga quas collegit, in illâ,
Horreolum spicis, & sibi fecit Haram.
Isto & fortè die Cerealia dona bacillo
Extudit; & tota est stramine sparsa domus.
Straverat & paleis Lectum, & pulvinus eàdem
Distentus plumâ nocte premendus erat.
Proxima cratitio jacuerunt strata camino;
Vicina, heu! Cereri non bene Vesta cubat.

* *In vico S. Mariæ Virginis.*

Nam-

Námq; foco admotâ fervent dum juſcula teſtâ,
(Forſan & ipſe foci pars bona culmus erat,)
Conſilio aut caſu, Meretrix ſimul exit, & Ignes
Stramina alunt, tugurî & culmine flamma micat.
Sentit; & arreptâ, (quem fecerat uſa tumultu,)
Prole fugit, flammis digna perîſſe ſuis.
Spes erat, incurſu in primo potuiſſe reſiſti; Et
Hoſtis in occurſum plebs glomerata ruit.
Sed fuit inſolitùm Zephyrus, noménq; Favonî
Exuit, ut rapidos ſuſcitet ore rogos.
His ſuppreſſa acies ſeſe Vulcani a ſupplet
Jugiter auxiliis, & nova bella movet.
Undiq; ſtramineis volitat concepta maniplis
Quâq; cadit ſimili in fomite, flamma furit.
Contiguæ fumant caſulæ, & per culmina ſicca
Correptis ſtipulis Mulciber errat ovans,
Succeſſuq; addente animos, mox ſaxea quæque
Tecta ſubit, ſaxo diſſiliente, calor.
Undiq; clamor erat, fragor undique & undique Terror,
Nec pugnæ datus eſt, effugióve locus,
Nam ſuperaturas conjunctis viribus Hoſtem,
Diſſipat unitas ſparſa ruina manus.
Ferte citi ſcalas, uncos, ſituláſq; frequentes,
Huc, illuc, rauco quilibet ore trepit.
Imperiiſq; ſimul variis dum diſcrepat, ipſa
Obſtruit auxilium diſſona Turba ſuum.
Diſcurſant omnes incerto tramite, & alter
Quam laturus erat, præpedit alter opem,
Vt nil proficiunt, hoſti dant terga furenti,
Et pedibus pennas addidit ipſe Timor.
Sed neque quà Timor in tuto conſiſtat, habebant;
Nullus erat vacuus ſuſpicione locus.
A facie, à tergo, à dextris calor, atq; ſiniſtris,
Ingruit; atq; vias occupat antè fugæ.
Lamentis, gemitúq; & fæmineo ululatu
Cuncta ſtrepunt: planctu pectora cæſa ſonant.
Obſtupuere tamen plures, quibus hæſit in ipſo
Attoniti interpres pectoris ore ſonus.
Mutua defixis ſpectabant lumina ocellis:
Supplent hi linguæ, cùm ſilet illa, vices.
Qualis erat Niobe, tunc cum præcordia ſaxum
Sepſit, & eſt ſolido lingua ligata gelu:

Ora

Ora adaperta putes vocem fusura precantem,
Sed terebrat nullus guttura dura sonus;
Attamen, ut guttas oculi expressere tepentes,
Parte illâ vel adhuc vivere visa fuit;
Gutta simul labi visa est, fallítq; videntes,
Pendula sulcatis stiria juncta genis:
Qualis erat *Loti*, *Sodomæ*, cum funera conjux
Respiciens flevit, diriguítq; simul;
Crura solo primùm cunctantia, macoreus sal
Figit, & in trepidos reptitat indè sinus;
Pectora plangebat jam durescentia palmâ,
Non sonat, at gestum palma sonantis habet;
Clamatura Virum fuerat cervice reductâ,
Flexuræ illa tenet semireducta notas;
Usq; patent fauces sed jam nascentia verba
Strangulat admisto fixa saliva nitro;
Lumina manserunt lacrymis turgentia, at indè
Lapsurus verè vitreus humor erat:
Tales hîc statuæ in vicis cernuntur ubiq;
Rore genæ stillant, guttura marmor habet.
Pulverulenta fluunt calidis sudoribus ora,
Dum rigidum in mæsto pectore frigus adest.
Affari incipiunt, mediaq; in voce resistunt,
Verbáq; dant dubios semiputata sonos.
Uno hoc, Exemplis, similes per cætera, distant;
Officiis superant crura manúsq; suis.
Namq; opus utrisq; est ut tanto urgente periclo,
Sufficiant illæ ponderi, & ista fugæ.
Convasata rapit secum sua quisq; nec ullus
Jam vacat, aut humeris triste repellit onus.
Fasciculis loca, si qua vacant sternuntur; & astat
Possessor propriis invigilátq; bonis.
Sedula at ipsa vocat Domini custodia fures;
Et pretium spoliis anxia cura facit.
Sæpe etiam confusa jacent; quin, (fallat ut Ignes,)
Credere cuiq; suas nemo recusat opes.
Depositis Templum cumulatur mercibus altum,
Omnibus à Sanctis huic quoq; nomen erat:
Præsidium in Sanctis nec erat tamen omnibus ullum;
Súntq; uno merces Templáq; juncta foco.
Sæpè obtrudit opem raptor, mentitus Amicum; &
Prædatrix nimis est officiosa manus.

Sæpe

Sæpè rogatus opem non fictus tardat Amicus;
Officiiq; levant propria damna moras.
Se proprior cuiq; est nemo; & quo profit Amico,
Ut sit, prospiciet qui sapit ipse sibi.
Arserunt pauci: at, (si qua est ea gloria,) junctum
Nobile cum patriæ funere funus habent.
Evasere alii, rapidus quos contigit Ignis,
Et licèt in tuto sint, loca tuta timent.
Queis latitat, Lupus ipsa timet dumeta, fefellit
Jamjam prensuri qui celer ora Canis.
Inq; suis trepidat quantumvis tecta, latrebris,
Quæ modò Nise, ungues sensit alauda tuos.
Utq; fugæ posuere modum; finémq; tremori;
Et ceisant trepido corda micare sinu;
Sollicitâ mox quisq; suos pietate requirit,
Relliquias flammæ præcipitisq; fugæ.
Alterutri in turbâ dispersos voce reposcunt:
Atq; hîc, hîc, clamant alter & alter, Ego.
Mutuaq; audiri vetat ut distantia verba,
Obvius alternis quisq; rogata rogat.
Sponsus ubi est? sponsa; est & ubi mea sponsa? Maritus:
Natus, ubi est Genetrix? illa, ubi natus? ait.
Sic, ubi per latos diffunditur undiq; campos,
Qui modò Grex avidos fugerat ante Lupos;
Luctisonis quærunt Matres balatibus Agnos,
Et socias Aries voce requirit Oves.
Pérq; vices rogitant se, responsántq; querentes,
Ad natos coeant donec utrinq; sonos.
E multis quos manè tamen Domus una recepit,
Vespere ubiq; capit vix domus una duos.
Conveniunt studiò pauci: sed fortè reperti
De non inventis unus & alter adest.
Nempe vaga ad fines replent Examina villas,
Tecta domo pulsis hospita fiqua patent.
Actam multiplici jam noctem pingere curâ
Quæ subiit cladi proxima, Musa vaces.
Illa aderat nempe; & (per flammæ lumina quantum
Hîc licuit,) furvâ veste tegebat humum.
Pulvere sed licèt oppletum lacrymisq; rigebat,
Pervigil, heu! multis, ut puto, lumen erat.
Paucis fortè graves somnus complectitur artus,
Membráq; difficili fessa labore levat.

Quæis

Queis, (quanquam ex æquo miſeris, Deus alme, dediſti,
Nocte mala ut Lucis digerat alma quies:)
Paſſa reor rediiſſe tamen, placidæq; quieti
Miſta, animos curis ſollicitâſſe novis.
Sentitur calor in ſomnis novus, & novus horror;
Et peragenda novi ſcena doloris adeſt.
Omnia falſa quidem; ſed dum non falſa putantur,
Effectum veri creditus error habet.
Hic ardens clamat; ſubit interceptus in ipſo
Conatu, truncus clamor at iſte fuit.
Ille levi curſu ſupera re incendia tentat;
Curſuróſq; tenent vincla moleſta pedes.
Colligat alter onus, flammas fraudâſſe paratus;
Stragula dum nudus complicat ipſe ſua.
Sic miſeros damnorum iterum ludibria pungunt:
Dum Morpheus partes Ignipotentis agit.
Altera deinde jubar nitidum ut Lux explicat, omnes
Lumine deceptos ſe vigilante vident.
Deprenſóq; forent ſibi viſi errore beati;
Ni ſcirent aliter ſe periiſſe priús.
Excluſoq; forent ſibi viſi errore beati;
Si poſſent aliter non periiſſe priús.
Conjice de reliquis, jam, Lector amice, tuaq;
Cum veniâ abſolvat fletibus Author opus.
Officio feciſſe ſatis, ni fallor, habetur,
Affectu ſupplens quæ potuiſſe volet.
Pectoribus certê veteres hæretis Amici,
Quos ego nunc noſci non puto poſſe mihi.
Nec tamen, ut mos eſt, nobis fortuna vetuſtæ
Mutat amicitiæ cùm fremit illa, fidem.
Sed vereor, vultus, quos lætos novimus, eſſe
Mæſtitiâ fractos diſſimileſq; ſui.
Notaq; mî mentem ſubeunt loca, qualia nôram,
Ah! nimium ſpecie nunc vitiata ſuâ.
Quæ vicis ſeries, quæ forma, quis ædibus ordo,
Uſq; hærent animo ſingula ſculpta meo.
Quæ fuerant ſaltem: nunc (triſti miſta ruinâ,)
Cuncta notis mihi ſunt conjicienda novis.
Et quâ concipiam, menti ut formetur Imago,
Sunt mihi de veteri ſigna petendo chao.
O ſacræ, quibus & nos ſacra peregimus, Ædes!
O ſpatioſi olim jugera lata Fori!

O nitidum a * pannis qui traxit nomina vicum! *Vulgo, Drapery.*
Quiq; datas venum crate coercet oves!
O quos Eoo sol spectat cardine nascens,
Nomina Abingdona his Ægidiúsq; dabant!
O plures interspersos sine nomine vicos,
Quos uno flendos carmine Musa putat!
O quæ Musarum monstabat Templa * Platea! *Vulgo, Colledg-lane.*
Et quâ venales calce probantur Equi!
Et quæ Pontis habet nomen, declivis in Amnem,
Quam nunc divisam lympha cinisq; tenent!
Deniq; quâ nostræ fuerant habitacula Musæ,
Aurea; at (heu!) solo nomine talis erat!
Hîc ego *Londini* deflevi Carmine Manes;
Quod placuit, dubium forte vel Arte, nimis.
Hîc quoq; nascentis celebravi Carmine Cunas;
Judice me, meruit quod placuisse magis.
Mitto uno cnixos partu inter utrumq; Gemellos;
Nec minor hi certè cura parentis erant.
Hæc olim, præli sudore exculpta gementis,
Omnia detectâ per loca fronte volant.
Piscantem hîc technis, pennis instruxit Alaudam;
Sphærarum hîc lusus Musa jocosa dedit.
Melpomene hic etiam lugubri carmine nostra
Flens Annæ cecinit tristia Fata meæ.
Hæc quoq; privatim, (& magna est ea gloria Nugis,)
Doctorum manibus non timuere teri.
Quærenti, quorsum ista loco memorantur in isto?
Dicimus, Horum ipsum me monuisse Locum.
Nec potui nostros, dum mente propinqua percerro,
Non compellatos præteriisse Lares.
Dúmq; quòd erepta est flammis, ego gratulor illi,
Agnoscunt patriam Carmina nostra Domum.
Gratulor & reliquis ubi gratas trivimus horas,
Concessum est rapidis queis superesse rogis.
Deq; aliis doleo, quorum fortuna dolenda est,
Consimilis nobis cum quibus usus erat.
Quod superest, Votis dabitur. Valeatis utræq;,
State precor, stantes, & supereste mihi.
Flammivomos lapsæ quæ consedistis in Ignes,
Surgite & in formas, me superante, novas.

EPI-

EPILOGUS.

Jamq; ohe, vereor, ne ſis dicturus Amice.
Perſer adhuc: ſumus, heu! garrula turba ſenes.
Dehinc meritò ut caveas verba extorquere loquaci,
Garrulitas certe hâc noſtra ferenda vice eſt.
Ecce tibi extortos objecto crimine verſus:
Ecce tibi alterno verba ligata pede.
Quæ ſi quis queritur tempus periiſſe legendo,
Defendas vatem, quâ licet, Ipſe tuum.
(At vereor, non eſt (ut tu ſis cunq; diſertus,)
Cauſſa Patrocinio noſtra juvanda tuo.
Quo moniti vetuli exemplo fugitote Camænas.
Vitat moroſos Muſa, fugátq; ſenes.
Vos tamen, exangues lacrymandi funeris umbræ,
(Tales eſſe, datur queis ſupereſſe, reor,)
Heu, ſimili vobis faciles ignoſcite Vati;
Quando ejus quod eram vix manet umbra mihi.
Præſtitit hoc tenuis tamen, urbs dilecta, Poeta,
Ne tua deducat funera pompa ſilens.
Præfica *Londinum* quæ, cùm tua dicta Camæna eſt,
Flevit; idem fecit, facta aliena, Tibi.

FINIS.

ERRATA

Sic corrigat Lector benevolus, p. 3. v. 23. lege *acta*, p. 4. v. 24. l. *ſtrepit*, p. 5. v. 9. l. *marmoreus*, ibid. v. 28. l. *ſufficiunt*, p. 6. v. 9. l. *Lepus*, ibid. l. 28. l. *notos*, ibid. v. 33. l. *adſines*.